DE
THERAPIA MORBI BRIGHTII
ADDITIS MORBI HISTORIIS DUABUS.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA

QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI
MEDICORUM ORDINIS
IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE
GRYPHISWALDENSI
AD SUMMOS
IN MEDICINA,
CHIRURGIA, ARTE OBSTETRICIA
HONORES
RITE CAPESSENDOS
DIE I. MENSIS AUGUSTI ANNI MDCCCLXIII
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

JOSEPHUS WERMELING,
GUESTPHALUS.

OPPONENTIBUS:
G. HACHTMANN, CAND. MED.
G. SCHICHHOLD, CAND. MED.
A. KLAHR, CAND. MED.

GRYPHISWALDIAE,
TYPIS FRID. GUIL. KUNIKE, REG. ACAD. TYPOGR.

Fieri non potuit, quin maximi recentioris aetatis progressus in rerum naturae investigatione, imprimis in anatomia et physiologia etiam medicinam ipsam excolerent. Legibus physiologia inventis, chemia organica, anatomia pathologica et nova physica explorandi ratione adjuvantibus, permulta, quae antea occulta erant et plerumque absurdis et mysticis conjecturis tractabantur, nunc perspicua et in omnibus partibus exartissime explorata sunt, ut admiratione jure moveamur, si historiam medicinae legentes illa tempora cum nostra aetate comparamus. Si autem therapiam consideramus, eam non eodem modo excultam esse invenimus; permultis quidem locis etiam therapia est emendata et ratione confirmata, sed tamen multae partes relictae; nam via ad exactam et rationalem therapiam certe longissima et difficilima est.

Ea studia, quae sunt generis critici, ad reformandam therapiam certe permultum profuerunt, sed superlationem eorum, Nihilismum, qui aliquamdiu in medicina regnavit, probare non possumus. — Quum

medici antiquis curandi rationibus saepissime destituti ratione imprimis medicorum homoeopathicorum intelligerent, vim medendi naturae maximam esse et violentis medicorum conatibus saepe turbari, placebat, ut in morbis nihil susciperent, sed omnia arbitrio naturae permitterentur, et solum dicis causa materiae indifferentes darentur, ut aegroti tamen aliquid haberent neve commoverentur. Hac mente decoctum Graminis, sive aqua destillata guttatim sumenda ordinabatur solum medicamentum. Haec autem ratio diuturna esse non poterat, medici intelligebant, therapia rationali et scientia et experientia confirmata opus esse. Profecto enim non est medici opus, morbo cognito et diagnosi magnifica et splendida constituta, contentum esse, sed etiam medicamentis, quae habemus aegrotis quam maxime prodesse. Omnes etiam mox illa via tendebant, et emolumenta jam nunc tam prospera sunt, ut praeclarissimos progressus sperare possimus.

Recentioris aetatis explorationibus morbum renum, qui, quum a Brightio primum obstratus sit, ab ejus nomine appellari solet, cognovimus, et scimus illius morbi sequelas. Quum etiam propter gravissimam degenerationem organi, quod maximi momenti est, et propter sequentia perniciosa prognosis ejus morbi certe non fausta sit, tamen spes nobis non eripiatur, sed therapia rationali et convenienti illis aegrotis proficere studeamus. Et saepe proventus praeclari sunt, quod ut experirer in nosocomio Gryphiswaldensi occasiones mihi fuerunt multae.

Itaque nonnulla de therapia morbi Brigthii scribere statui et historias morbi nonullas adjicere.

Quum aetiologia doceat, perfrictionem imprimis aera frigidum et humidum saepissime causam morbi esse, morbo incipienti illas perniciositates quam maxime removebimus. Aegroti sicca incolant aedificia, simul utantur vestimentis spissis, et si ullo modo fieri potest, laneis, imprimis ad pedes, fugiant etiam aera humidum et vespertinum. Etiam status confectionis et infirmitatis, cachexia sanguinis profusione, suppurrationibus et affectione ossium exorta saepe causae morbi sunt, quam ob rem nostris remediis tonicis, de quibus postea latius scribam, et roborantibus alimentis corporis constitutionem corrigere studebimus. — Etiam abusus spirituosorum causa morbi jure habetur, sed raro eum removeri posse scimus.

Etiam in tractanda therapia idoneum est, tria morbi stadia sequi. — Quum in stadio primo renes magna hyperaemia inflammatione et exsudatione affecti sint, derivationes quam maximae instituendae sunt; et quum urinae excretione certe irritatio aliqua fiat in renibus, etiam utile est, excretionem aliorum organorum excitare, quo renes, ut ita dicam, labore et irritatione liberentur. Hac mente derivamus ad intestinum drasticis, ad cutem balneis calidis, quae tum praeclarissimum plerumque habent effectum, si morbus perfrictionibus, aut post alias

cutis affectiones, ut exanthematis acutis, imprimis post scarlatinam exortus. Quum simul hydraemia plerumque veniat celeriter, etiam statim medicamenta roborantia, praecipue Ferrum et Chinam proponemus. — Superiore hieme, quum parva scarlatinae epidemia esset Gryphiae, et postea saepe morbus Brightii sequeretur, balneis calidis fortiter adhibitis et Ferri portionibus magnis datis, cibis firmis adjuvantibus, effectus vidimus saepe necopinatos: albumen urinae antea copiosum continuo minuebatur, etiam cylindri fibrinosi, qui permulti nonnunquam aderant, minuebantur, denique omnino deficiebant, brevi tempore etiam hydrops remotus et corporis status praeclarus revocatus. In universum constat, acutae morbi Brightii formae, quae post scarlatinam saepe erumpit, bona curandi ratione instituta prognosim plerumque esse faustam. — Etiam sanguinis detractiones locales hirudinibus medicinalibus aut cucurbitulis impositis sunt adhibendae, generales autem sanguinis detractiones et magnae Hydrargyri portiones, uno verbo omnia, quae corpus debilitant et hydraemiae favent, omnino rejiciendae. — Drasticorum praecipue illis utuntur, quae alvos profusas et aquaticas efficiunt; tales sunt: Colocynthis, Gummi Guttae, Elaterium et oleum Crotonis. Omnes autem materiae, quae renes irritant, accurate vitanda sunt, ut: diuretica, sales, aromata. — In stadio secundo, exsudationis et metamorphosis exsudati saluberrimum est, in derivationibus ad intestinum et cutem perseverare, sed semper simul curandum est, ne

sit illa ratio corpori detrimento, ne, exempli causa, drasticis digestio perturbetur. — Simul alimenta firma et medicamenta roborantia proponemus, quibus hydraemiam, quoad fieri potest, prohibeamus. Sub finem hujus stadii etiam lenibus diureticis, sed minime irritantibus, utemur, imprimis alcaliis carbonicis et aquis, quae talia continent; quibus, ut ita dicam, obturatos tubulos urinales expurgemus.

In stadio tertio etiam diaeta quam firmissima medicamentis tonicis sustentata res maximi momenti est, qua amissum albumen suppleamus et ventriculi cordis sinistri hypertrophiae faveamus, per quam renum actio et ureae excretio augeri videtur. — Si hydrops est magnus, cutis et intestini excretionem ut supra dictum incitabimus. Valde efficax plerumque diaphoresis est, non medicamentis internis sed balneis calidis (300° — 33° R.) provocata. Sudoris excreti copia nonnunquam tanta est, ut per lectum fluat et vasibus suppositis colligi possit, et aegroti postea saepe aliquot libris leviores inveniantur. Si autem haec ratio statum aegroti vehementer afficit, statim intermittenda. Hydrops modo symptoma habendus et quidem oppugnandus est, imprimis si magnitudine ejus periculum vitae affertur, sed tamen nunquam obliviscamur, causam ejus veram esse amissionem albuminis et hydraemiam sic factam.

Hoc tempore diureticis fortioribus utimur, licet etiam aliquomodo irritantibus, nam tum inflammatio in renibus non est, et ego quidem affirmaverim, *sine ulla renum irritatione diuresim fieri non posse.*

Sed quum renes minime fortibus irritationibus exponen-di sint, diuretica eligemus quam valentissima quidem, sed nunquam acria. Magnam gloriam jure Tartarus de-puratus habet, saepe decocto corticis Chinae adjectus, quod medicamentum mixtura Frankii nominatum et diu-reticum et roborans est praeclarum. Etiam tenu foliorum Digitalis infusum saepe adhibetur, sed propte digestionis perturbationem non commendandum, prae-sertim quum alia praeclara habeamus diuretica, quo-rum unum praecipue afferre volo: baccas Juniperi. Quod diureticum certe efficax neque renes neque alia organa incommodo afficit. Plerumque e baccis infusum paratur. In nonnullis regionibus medicamentum est domestico usui destinatum et se praestat diureticum praeclarum, cujus rei exempla multa mihi cognita sunt et mea quidem sententia illud medicamentum, quod in terra nostra provenit, omnia peregrina plerumque sum-ptuosa diuretica supplere potest.

Omnia autem diuretica acria, imprimis balsamica resinosa vitanda. Contenderunt quidem, baccas Juni-peri materias Therebinthinae continere et mihi etiam id verum esse videtur, sed certe illas materias modo in homoeopathica fere portione continent, qua re etiam renum irritatione damnum afferre non possunt.

Multa alia diuretica et ex parte etiam bona nobis sunt, quorum celebratissimum nominare volo: folia uvae ursi, quibus plerumque in decocto (℥β—j ad ℥viij) utimur. Illa folia continent acidum tannicum et extracta diuretica: Arbutinum et Ericolinum. Itaque effectus duplex et adstringens est et urinam movens

Medicamenta adstringentia etiam saepe adhibentur, quibus albuminis excretio in renibus finiatur. Hac mente imprimis acidum tannicum proponimus, quod, quum acidum gallicum et pyrogallicum excernatur, etiam in transitu per renes effectum adstringentem habere scimus. Quo medicamento sumpto albuminis excretio omnino finita raro, sed valde minuta saepissime observata est.

Ceterum et scientia et experientia affirmatur, conservationem virium et restitutionem albuminis amissi maximi esse momenti. Itaque curabimus, ut alimenta aegroti quam firmissima sint neque tamen digestionem perturbent. Id spectantes carnem assam, ova mollia, sorbitionem carnis concentratam proponemus, alimenta terra genita, quae materias nutrientes perpaucas tantum habent, et copia magna organis digestionis et respirationi nonnunquam nocent, quam maxime excludemus. Etiam semper curabimus ut omnem digestionis perturbationem idoneis remediis imprimis amaris et stomachicis removeamus. Simul etiam potus roborantes et ubi fieri potest, vinum rubrum ordinabimus, imprimis Gallicum, quod in plurimis virium defectionibus excellentissimum est. Etiam cerevisia bene praeparata multum saepe prodest. Ita etiam fit, ut divites in morbo Brightii cum magna albuminis amissione saepe satis bene se habeant, pauperes autem celeriter consumantur.

Niemeyer dicit de medico, qui, quum jam ante viginti annos omnia signa morbi Brightii praebuerit, tamen modo ante paucos annos mortuus sit. Mer-

catorem senem noveram, qui, antea diu in regione humida ad oram maritimam sita versatus, morbo Brightii affectus erat et per undecim annos satis bene eum sustinebat. Ad submovendum hydropem interdum, sed raro, drastica sumebat, remediis diaeteticis autem Tartaro depurato et praecipue infusis baccarum Juniperi utebatur, et effectus semper praeclarus erat. Quum res familiares ei essent largae, alimentis optimis et firmissimis uti poterat, etiam organa digestionis semper fere valida erant, et quum forte appetentia deficeret, vino Gallico rubro, quod quotidie bibebat, nonnullas guttas extracti Chinae fuscae frigid. parat. et tincturae aromaticae addebat, quae stomachica et tonica perbona semper se praebebant. In urina ejus albumen semper aderat, sed modo paucum, et valetudo universa commoda erat. Qui mercator septuaginta novem annos natus, morbo Brightii per undecim annos sustentato, mortuus est et vero omnibus senectutis molestiis aequaliter affectus, ut discernere vix possim, utrum morbo Brightii an senectute confectus sit.

In medicamentis tonicis laus maxima jure est Ferro, quod jam veteres habebant tonicum praeclarum, et nostris temporibus ejus gravitas eo magis cognoscitur, quod Ferrum in sanguine versari et omnibus fere alimentis, quin etiam lacte materno in corpus duci scimus. Et experientia etiam vim salutarem Ferri imprimis in anaemia et infirmitate nobis ostendit. Jam organa digestionis saepe firmantur, chylus conformatur materia nutribili imple-

tus, sanguis antea dilutus redditur concentratus, corpuscula sanguinis rubra augentur, musculorum tonus firmatur, et functiones omnium organorum amplificantur. — Quum recentioris aetatis explorationibus multa antea obscura cognoverimus, tamen etiam nunc fere cum *Boerhaavio* dicere possumus: „In ferro est aliquid divinum.“ — Firmandi causa plerumque praeparata mollia Ferri, in quibus discrimen actionis non est magnum, adhibentur, et notandum est, quum Ferri copia in sanguine parva sit et defectus minima portione restitui posse videatur, experientiam docuisse, portiones magnas praecipue praeclaros illos effectus afferre. — Etiam Manganum, quod in sanguine versari dicitur, tonicum habetur, quod tamen experientia non satis constat.

Cortex Chinae autem jure tonicum praeclarum habetur et, quum tempore Nihilismi etiam rejectus sit, et actiones Chinae in corpore perspicuae nobis non sint, nunc saepissime a medicis adhibetur, et effectus magni appellari possunt. Roborandi causa extractum Chinae apte proponimus, quod ligneis fibris inutilibus liberatum tamen omnes fortes materias corticis continet; etiam decoctum Chinae ad usum accommodatum est.

In secunda historia morbi videbimus, quae usu constanti et rationali medicamentorum tonicorum simul alimentis aptissimis adhibitis, in rebus desperatis et fere perditis efficere possimus. Quum curatio malo intercurrente perturbata sit et morbo

recidivo consumptus aegrotus mortuus sit, tamen effectus therapiae illo casu obscuratus non est.

Nonnulla etiam de aliis curandi rationibus dicam. Medici aliquando paracentesi abdominis utuntur, praecipue si ascites magnus respirationem impediens periculum efficit. Punctionem omnino rejicere non possumus, sed modo in rebus gravibus eam adhibebimus, scientes, ascitem celerrime redire, nisi alio modo causa remota sit, et talem exsudationem e sanguine punctione adauctam propter albumen in eo liquore permultum corpus maxime debilitare.

Prius etiam nonnunquam ratio sitis sive ratio Arabica ad resorbendum hydropem adhibebatur. In ea curandi ratione, aqua et omnibus aliis liquoribus, fructibus et illis oleribus, quae multum aquae in se habent, omnino remotis, modo panis siccus, caro et alia alimenta firma quidem, sed aquam quam minimam continentia, dabantur, et sperabant, fore ut corpus, aqua omnium organorum functionibus necessaria non allata, hydropem resorberet. Id autem certe raro factum est, sed illa ratio tanta corporis constitutionis et integritatis incommoda involvit, ut omnino rejicienda sit et medici hoc tempore nunquam fere ea utantur.

Praecipue etiam in morbo Brightii notanda est intoxicatio uraemica, ejusque curandi ratio. Perspicuum est, excretione urinae valde oppressa et excreta urina etiam mutata, materias in sanguine cumulari posse, quae organa corporis imprimis systema nervorum afficientes, convulsiones, soporem,

paralyses et alia intoxicationis uraemicae signa efficiant. Doctrina, quam *Frerichs* proposuit, saepe in dubitationem vocata est, imprimis etiam ratio Ammoniacum in aere exhalato demonstrandi oppugnata est, sed multis etiam causis doctrina defenditur et novissimis praecipue explorationibus confirmata esse videtur. Magni autem momenti ad eam demonstrandam mihi esse videtur, quod therapia rationalis, quam *Frerichs* a doctrina illa deduxit saepissime praeclarum eventum habet. Hic jure dicere possumus: therapia pathologiam illustrat (ut aliis locis pathologia illustrat physiologiam). — *Frerichs* enim acida et praecipue acidum Benzoïcum commendavit, quibus Ammoniacum innocens reddatur. Acidum Benzoïcum Nitrogenium non habet et in urina excernitur acidum Hippuricum, quod Nitrogenium continet. Hinc igitur acidum Benzoïcum in sanguine versari acidum et materias Nitrogenium continentes e corpore educere scimus. In nosocomio Gryphiswaldensi intoxicatio uraemica curatur acidi Benzoïci portionibus magnis et aceto in lavationibus et clysteribus adhibito, et eventus plerumque bonus. In prima historia morbi de viro dicam, qui omnino confectus et intoxicatione uraemica gravissima affectus erat.

Historia morbi I.

J. K. opilio, sexaginta unum annos natus, die VII. mensis Maji anni MDCCCLXIII in nosocomium

Gryphiswaldense receptus est. Per unum annum laborat tussi et ante triginta annos pneumonia affectus erat. Mense Febr. hujus anni saepe madefactus et aeri frigido expositus, sensit, urinam valde rubram, urinae cupiditatem crebram, et copiam urinae perparvam esse, etiam dolores modo vehementes modo exigui aderant. Ante sex hebdomades extremitates inferiores oedematose intumuerunt et postea etiam scrotum. Alvus modice extensa, in tegumentis alvi etiam oedema est, fluctuatio in alvo satis perspicua, ascites autem non magnus. Ictus cordis in normali loco et normali impetu est, sonitus cordis ubique puri, in apice cordis alter sonus fortior quam prior esse videtur. Oppressus percussionis sonus corde effectus normalis est. In anteriore thorace percussionis sonus normalis, strepitus respirationis vesicularis quidem, sed cum rhoncho mucoso et sibilanti, fines pulmonum normales. In utroque posterioris thoracis latere percussio sub plano vertebrae thoracis quintae inanis, et his locis strepitus respirationis valde minutus est, in superioribus autem partibus normalis, rhoncho mucoso et sibilanti etiam adjecto. Respirationes erant 28, in quibus musculi scaleni agebant vehementer. Sensus nonnunquam obscuri erant, et aegrotus per noctes saepe delirabat. Sputa mucosa et spumosa erant. Datur liquor Ammonii anisatus et Tartarus depuratus. Urina fusca exiguum sedimentum habebat, sed multum albuminis; et quomodo secreta sit hoc tempore, intel-

ligitur ex copia per vicenas quaternas horas emissa, si cum pondere specifico comparamus.

Mense Majo.	Urinae secretae volumen.	Pondus specific.
VIII	880 Ctm. cub.	1,014
IX	740 -	1,015
X	650 -	1,016
XI	490 -	1,013
XII	430 -	1,017
XIII	510 -	1,016
XIV	500 -	1,014
XV	450 -	1,016
XVI	500 -	1,017

Die XV mensis Maji sensus valde obscuri erant, et nonnunquam aegrotus delirabat, responsa saepe insana. Pupilla autem normalis erat, non valde dilatata, et reactio diligens. Ordinabantur florum Benzoës altera quaque hora gr.ij. Mutatio in respiratione erat notabilis. Nam motiones thoracis valde planae, vix aspectabiles et respirationes fortissimae et anhelantes inter se mutabant, ita ut paullatim inter se defluerent. Oedema inferiorum extremitatum, tegumentorum alvi, tergi, etiam superiorum extremitatum est ingens, impressiones digito factae diu remanebant. Per sequentes dies status idem est, sensus paullo liberior, et respiratio eadem quae antea. In respiratione rhonchi mucosi permulti, et dyspnoea interdum magna.

Die XXI mensis Maji. Infirmitas aegroti continue augetur. Heri tempore vespertino erat impetus

vehemens dyspnoeae, itaque acetum in frictionibus adhibitum. Urina non est mutata.

Mense Majo.	Urinae secretae volumen.	Pondus specific.
XX	740 Ctm. cub.	1,015
XXI	400 -	1,017
XXII	800 -	1,015
XXIII	900 -	1,016
XXIV	600 -	1,015
XXV	400 -	1,020
XXVI	390 -	1,020

Die XXVIII mensis Maji. Tempore matutino aegrotus, postquam prandium satis bene sumpsit, subito mortuus est oedemate pulmonum acuto, quod sectione corporis confirmatum est.

Historia morbi II.

Anamnesis.

J. L. die XX mensis Sept. anni MDCCCLXI in nosocomium Gryphiswaldense receptus, laterarius, viginti duo annos natus, morbo pectoris cum frigore vehementi ante duos annos affectus erat, postea dolores habebat magnos in latere sinistro. Hebdomadibus sex in lecto peractis sanitas rediit. In labore suo perfrictionibus multis expositus erat, nam saepe ignis causa calidus in loca perflata ire coactus erat, et refrigeratio celerrima. Domicilium in ora maritima situm erat. Ante hebdomades sex subito calore et frigore affectus est, accesserunt dolores in capite, nausea, vomitus, et micationes ante oculos, quibus

rebus permotus in lectum se contulit. Postea dolores magnos in tergo habebat in femora irradiantes, tum etiam urinam fuscam et urinae cupiditatem valde crebram esse sensit. Ante dies quatuordecim oedema accessit extremitatum inferiorum, genitalium et alvi integumentorum; etiam dyspnoea, appetentia minuta, virium defectio, alvus infrequens accessere.

Status praesens.

Figura corporis firma, genae rubrae, cutis autem trunci et extremitatum nec non membranae mucosae pallidae. Alvus ascite extensa, oedemata integumentorum alvi, thoracis et femorum sunt magna, in brachiis et manibus oedema nullum. Excavatio thoracis praeclara, et elevatio in respiratione aequalis est. Oppressus percussionis sonus corde effectus incipit ad costam quartam apud sternum idque transit et usque ad marginem eius dextrum pertinet. Finis sinister est ante lineam mamillarem infra papillam. Ictus cordis in spatio intercostali quinto est. In latere dextro sonus in plano fere papillae ad axillam inanis est et in posterioribus partibus etiam aliquantum ascendit. In latere sinistro finis soni inanis idem est. Oppressio percussionis hepate effecta incipit in altitudine basis processus xiphoidei. In utroque latere tergi sonus inanis extenditur usque ad inferiorem partem scapulae. In anteriori thoracis parte strepitus respiratorius vesicularis, in latere sinistro in spatio intercostali secundo et tertio ad sternum crepitus subtilis auditur, idemque in latere

dextro. In dextra et superiori regione tergi ad columnam vertebrarum inspiratio vesicularis, exspiratio dubia et fere bronchialis est, in externis et inferioribus regionibus strepitus respiratorius vesicularis purus. In iis partibus, quibus sonus inanis est, strepitus respiratorius tenuis. In latere sinistro res ita se habent ut in dextro. Soni cordis puri sunt, et primus eorum ad valvulam mitralem valde firmus. Pulsus plenus est, non extensus. Urina turbida, subflava habet sedimentum et permultum albuminis. Microscopio multa epithelia, corpuscula sanguinis et cylindros fibrinosos epitheliis et adipis guttulis ornatos cognovimus. Urinae per vicenas quaternas horas emissae volumen est 1750 Ctm. cub., pondus specific. 1,019.

Therapia et decursus morbi.

Ordinatur mixtura Frankii, et tempore pomeridiano balneum calidum, et tum involutio tegumentis laneis. — Quum balneis tribus sudor emissus non sit, alvi autem extensio augeatur, die XXIV m. Sept. oleum Crotonis ordinatur (gtt. iij ad ℥vj altera quaque hora cochlear).

Die XXVII m. Sept. Alvi profusae adsunt, nonnunquam etiam dolores in alvo, et ultimis diebus vomitus nonnulli.

Die II m. Octobr. Aegrotus perrexit oleum Crotonis sumere, et alvis copiosis et aquosis factum est, ut hydrops minueretur, et dyspnoea removeretur. Sed valetudinis status malus, pallor et anaemia augentur, itaque mixtura Frankii datur.

Die V m. Oct. Hydrops iterum crescit, alvus valde extensa, et dyspnoea magna, qua re oleum Crotonis datur. Appetentia exigua, sitis aucta, temperatura et pulsus normales. Usque ad hoc tempus intoxicationis uraemicae signa non aderant.

Die VII m. Oct. Oedemata alvis aquosis minuta sunt. Quum autem oleum Crotonis vomitus moveat, hoc omittitur, et ordinatur: Extractum Colocynth., extractum Aloes cum sapone Jalappino.

Die X m. Oct. Oedemata, imprimis ascites, permagna, in alvo lacerationes retis Malpighi, intestina aere valde extensa, et hepar in altiori loco situm, quam antea. Aegrotus, qui decocto cortic. Chinae porro utitur, tempore vespertino dyspnoeam habet magnam propter extensionem alvi. In pulmone dextro auditur crepitus humidus, sonus secundus in arteria pulmonali fortis. Sumit per horam dimidiam ter florum Benzoës gr. v.

Die XV m. Oct. Infirmitas et anaemia auctae sunt. Urinae copia parva: 400—500 Ctm. cub., pondus specific. 1,018—1,020, et albumen multum continet. Drastica removentur, ordinatur mixtura Frankii.

Die XXIII m. Oct. Aegrotus heri tempore vespertino dolores in capite permagnos, micationes ante oculos et sensus obscuros habebat. Florum Benzoës quatuor portionibus sumptis status melior erat, et per noctem somnus placidus.

Die XXVII m. Oct. Propter anaemiam continue auctam proponitur Ferrum lacticum.

Die IV m. Nov. Albuminis copia in urina permagna est, et hydrops augetur, imprimis ascites. Obstructionis causa decocti Colocynth. (ʒβ ad ℥vj) altera quaque hora cochlear datur.

Die XV m. Nov. Oedemata ingentia sunt imprimis etiam in genitalibus, praeputium tam tumidum est, ut emissionem urinae impediat, et vulneribus acu punctis multum seri profluat. Nonnullae integumentorum alvi et femorum regiones rumpuntur et tantum seri emittunt, ut lecto madefacto in fundo colligatur. Urina subrubebat, et exploratione Helleri nec non microscopio corpuscula sanguinis in ea inventa sunt. Albuminis copia in ea tanta est, ut omnis fere in vitro, acido nitrico adjecto, rigescat. Decoctum Colocynth., quia effectum non habet, remotum est, et infusum spec. lax. St. Germ. proponitur.

Die XX m. Nov. Tempore vespertino oedematis polmonum impetus vehemens irrumpit, qui tamen, quum florum Benzoës gr. v. in horas sumerentur, sexta portione capta omnino remotus est.

Die XXIII m. Nov. In pulmonibus creptius humidus diffusus auditur, actio cordis est celerrima, pulsus debilis.

Die XXVI m. Nov. In regione externa femoris dextri et in interna regione femoris sinistri dermatitis diffusa erysipelatosa exorta est, quae madet et dolores magnos movet. Datur vinum et Ferrum lacticum.

Die IX m. Dec. Aegrotus habet dolores ca-

pitis magnos, micationes ante oculos, tum sopore afficitur, sex autem portionibus florum Benzoës (in summa ʒβ) sumptis levationem sentit.

Die XII m. Jan. anni MDCCCLXII. In urina sanguis et permultum albuminis est, microscopio cylindri fibrinosi, epithelia et corpuscula sanguinis inveniuntur, volumen urinae est 600—800 Ctm. cub., pondus specific. 1,021—1,022. Dyspnoea propter ascitem gravis est. Aegrotus sumit Ferrum lacticum et pilulas extracto Aloes et sapone Jalappino paratas, simul alimenta firmissima et vinum. Lacerationes cutis aqua Goulardi tractantur.

Per menses Febr. Mart. Apr. status aegroti idem est, et therapia omnibus viribus studet, ut aegroti vires augeat et damnum albuminis per urinam restituat.

Die VII m. Maji. Aegrotus frigore magno affectus est; postea habebat calorem et dolores in femoribus et in thorace, etiam tussis adest, temperatura corporis 40,3, numerus respirationum 44, pulsuum 104. Utebatur Tartaro depurato et potu aqua limonata.

Die XI m. Maji. Sudore emisso febris finita est.

Die XXVIII m. Maji. Ascites est maximus, epigastrium extensum est, dolii instar, et modo in superiori parte sonus tympaniticus, dyspnoea permagna. In cute alvi et femorum lacerationes valde latae sunt. Angore et desperatione ob statum terribilem jactatus aegrotus per ultimos dies se interficere interdum destinabat, et propter curatissimas

preces punctio abdominis facta est. Volumen seri emissi erat 14300 Ctm. cub., pondus specific. 1,012, et copia albuminis in eo tanta, ut in vitro omnino rigesceret, acido nitrico adjecto. Heri urinae secretae volumen erat 910 Ctm. cub., pondus specific. 1,018.

Die XXIX m. Maji. Punctione facta aegrotus bene se habebat, et imprimis respiratio valde libera erat. Urinae post punctionem per viginti quatuor horas emissae volumen erat 1850 Ctm. cub., pondus specific. 1,015.

Die VII m. Jun. Alvus iterum aliquantum extensa est et volumen urinae emissae continue minuitur. Ordinatur decoctum cort. Chin. reg. (℥β ad ℥vj) cum Tartari depurati ℥β; altera quaque hora sumitur cochlear.

Die II m. Jul. Ascites et oedemata in extremitatibus inferioribus valde crescunt, et extensio eorum fere tanta, quanta erat ante punctionem. In latere thoracis sinistro, ubi regio cordis est, motus conspicitur undulans. Oppressio percussionis corde effecta permagna est et marginem sterni dextrum egreditur, cordis soni obtusi audiuntur: Hydrops adest pericardii; qua re vesicatorium in regione cordis ponitur.

Die XVII m. Jul. Vesicatorio hydropericardium aliquanto minutum est. Die XX m. Jul. ordinatur:

℞· Extr. Chin. fusc. ʒij.
Aq. Menth. piper. ℥iβ.
Syr. Cinnam. ℥β.

M. D. S. quater omni die cochlear parvum sumendum.

Die XXVIII m. Jul. Motus undulans in regione cordis exiguus est, et oppressio percussionis corde effecta modo ad marginem dextrum sterni extenditur. Urina colore flavescente paullatim augetur.

Die VI m. Aug. Corporis vires jam meliores sunt, oedemata in toto corpore minuuntur, ulcera femorum sanescunt, urina pellucida, albuminis copia minor, et in sedimento non cylindri, sed modo granula et epithelia inveniuntur.

Die XX m. Aug. Convalescentiae progressus praeclari, alvus tenuis, integumenta ejus rugosa, et percussione ascites non inventus, ad malleolos oedema parvum, ad femora nullum. Aegrotus sumit continue extractum Chinae fuscae et alimenta firmissima, appetentia praeclara.

Die II m. Sept. Status valetudinis viri talis est, ut quotidie per plures jam horas extra lectum versari possit et commode se habeat. Genae et membranae mucosae mediocriter rubrae, respiratio libera, in regione cordis motus undulans minimus, et oppressio percussionis corde effecta vix usque ad marginem dextrum sterni extenditur, ictus cordis motus diffusus sentitur. Pulsuum firmorum numerus 84, strepitus respiratorius in omnibus pulmonum partibus vesicularis, hydrothorax non adest. Femora multis circatricibus affecta, gracilia quidem sunt, sed oedemata non habent. Urina pellucida minimam albuminis copiam continet et volumen ejus 1770—1800 Ctm. cub., pondus specific. 1,015, modo cor-

puscula mucosa et epithelia nonnulla vesicae habet, urea in ea est $1\frac{3}{4}$ %.

Die I m. Oct. Vir per totum fere diem lectum relinquere potest et vires optime recuperat, corporis pondus continue augetur, tempore vespertino modo oedema exiguum in pedibus. Sumit continue extractum Chinae fuscae, ova, lac, carnem, cerevisiam et alia alimenta firmissima.

Die I m. Nov. Convalescentiae progressus jucundissimi, albumen urinae fere nullum.

Hic eventus excellentissimus, therapiae roborantis profecto victoria splendida, malo subito intercurrenti disturbatus et ad irritum redactus est, de quo paucis verbis referam.

Vir die XVIII m. Nov. tempore pomeridiano doloribus in regione inguinali dextra affectus est, et tumor ibi inventus est, qui attactus dolores vehementes usque ad digitos pedis irradiantes movebat; tum vomitus bis oritur, sopor et oculorum obscuratio accedit, et tempore vespertino temperatura corporis 41,0, numerus respirationum 40, pulsuum 136. Tumor celeriter crescit, aperitur et pus multum edit. Statim morbus Brightii recidivus vehementissimus, urina sanguinea albumen permultum continet, oedemata maxima mox redeunt, et virium defectione universa aegrotus die XVIII mensis Martii obiit.

VITA.

Natus sum Josephus Wermeling anno h. s. XLI. d. X. mens. Febr. in vico Guestphaliae Hopsten, patre Antonio, quem morte valde praematura mihi ereptum lugeo, matre Clara e gente Schade, quam superstitem summa pietate gratoque animo veneror. Fidem profiteor catholicam. Primis literarum elementis imbutus scholam Beckumensem tres per annos frequentavi, tum gymnasium Warendorpiense adii, ubi per duos annos versatus sum. Auctumno anni h. s. LIX. maturitatis testimonio munitus Wirceburgum me contuli, ubi a Rectore magnifico Ill. Edel civibus academicis adscriptus sum. Post tria semestria Bonnam petii, ibique ab Ill. Troschel, Rectore magnifico, in civium academicorum numerum receptus, per semestre studiis incubui. Auctumno anni h. s. LXI almam Gryphicam literarum sedem adii, atque a Rectore magnifico Ill. Baumstark civibus academicis adscriptus, apud Ill. Budge, t. t. Decanum spectatissimum gratiosi medicorum ordinis, nomen professus sum.

Per octo semestria audivi disserentes:

Wirceburgi:

Ill. Müller: de osteologia, syndesmologia, angiologia, de anatomia organorum sensuum, de histologia.

Ill. Kölliker: de myologia, splanchnologia, neurologia, de physiologia. Idem dux mihi exstitit in exercitationibus cadavera rite dissecandi.

Ill. Scherer: de chemia anorganica.

Exp. Claus: de zoologia.

Ill. Narr: de encyclopaedia et methodologia medica, de psychologia.

Ill. Hoffmann: de logice et metaphysice.

Exp. Schwarzenbach: de physice, de materia medica.

Bonnae:

Ill. Nöggerath: de mineralogia.

Ill. Pflüger: de physiologia generali.

Ill. Schacht: de botanice.

Ill. Schultze: de anatomia organorum sensuum.

Ill. Bischof: de chemia organica.

Ill. Schaafhausen: de physiologia generali.

Gryphiae:

Ill. Haeser: de pathologia generali, de morbis epidemicis.

Ill. Pernice: de theoria artis obstetriciae, de morbis neonatorum, de morbis feminarum.

Ill. Bardeleben: de chirurgia generali et speciali, de akiurgia, de herniis. Idem dux mihi fuit in operationibus chirurgicis in cadaveribus instituendis.

Exp. Schwanert: de chemia pharmaceutica.

Ill. Rühle: de pathologia et therapia speciali, de psychiatria universali, de morbis systematis nervorum.

Ill. Ziemssen: de auscultatione et percussione, de exanthematibus acutis, de syphilide.

Exp. Schirmer: de ophthalmiatrice.

Exp. Bengelsdorff: de arte formulas medicaminum rite concinnandi.

Ill. Budge: de corporis humani evolutionis historia.

Ill. **Grohe**: de anatomia pathologica. **Idem** dux mihi fuit in cursu anatomiae et histologiae pathologicae.

Ill. **Schultze**: de historia medicinae, de anatomia et physiologia comparata.

Exp. **Heineke**: de regionibus corporis, quae sunt chirurgo magni momenti.

Exp. **Landois**: de anatomia.

Ill. **Laurer**: de arte fascias chirurgicas alligandi.

Exp. **Haeckermann**: de medicina forensi, de politia medica.

In clinico chirurgico et opthalmiatrico Ill. **Bardeleben**, in clinico medico Ill. **Rühle**, in clinico obstetricio Ill. **Pernice** duces mihi fuerunt.

Quibus omnibus viris optime de me meritis gratias, quam possum maximas ago, semperque habebo.

THESES.

I.

Herniarum operatio radicalis rejicienda.

II.

Ad perinei rupturas prohibendas incidendorum labiorum majorum methodus optima.

III.

Mortem infantum ex Ergotino repetere non possumus.

IV.

Hunteri methodus optima ad aneurysmata sananda

V.

Hydrops non morbus sed symptoma.

VI.

Alcalia in diabete mellito indicata.